

QK. 531.30

X1860560

B. m. II, 63

II c  
85

ORATIO

De

SERMONIS, APPRI-  
ME TAMEN LATINI ORI-  
GINE, ELEGANTIA AC  
EXCELLENTIA,

Quam

IN INCLYTA, QUÆ LIPSIAE EST, ACA-  
DEMIA PVBLCIE HABVIT POST  
Pentecostes festum

VALENTINVS HARTVNG  
Lipsiensis,

*J. C. Scaligeri dictum ex Exercit. 255. subtiliss.*

Ratio est manus intellectus; rationis oratio; orationis  
manus. Manus enim iussa facit; iussa obedi-  
unt rationi; ratio vis intel-  
lectus.

Anno MVnDI reCens reparat.



L I P S I Æ,

Typis Hæredum BEYERI  
Valentin. am Ende exprimebat.

*Quam*  
*Ampliss. Excellentiss. Consultiss. Prudentiss.*  
*moq; Viro Dn.*

**THEODORO MOESTELIO**

*Philosoph. & I. V. Doctori.*

*Illustriss. ac Potentiss. ELECTORI Dresda ab Appellatio-*  
*num Consiliis, Scabinatus quoq; qui Lipsia est, Asses-*  
*sori, & Reipublica Consuli.*

*Singulari studiorum meorum patrono &c.*

**D** *Ebueram dudum, THEODORE, gravissime Consul*  
*Quod rogo, pro Musis nempe rogare meis.*

*Nescio quo sanè fato, aut qua iniuria omissum*

*Hactenus id fuerit, vel quoq; segnitie:*

*Sed citò sat, si sat benè, compensare morarum*

*Pertene hoc specimen tadia longa cupit.*

*Feci atq; obtinui. Consul voto annuit. Vna*

*Consulis est virtus semper amare bonos.*

*Ergo favor tantus foveat me, gratia tanta*

*Me moveat, grates ut benè gratus agam.*

*Quid mea Musa siles? grates age, redde patrono*

*Officium, dominum deq; merere tibi.*

*Nam nimis ingrata; imò etiam impia forsitan esses.*

*Ni memoris mentis signa benigna dares.*

*Pro fausto auspicio sit dissertatio nuper*

*Publicè in augusto mi recitata loco.*

*Momenti levis est, fateor, nec munus adequat,*

*Conspicue eximio Consul honore tuum.*

*Haud rem; verum animum dantis jam pondera, & olim*

*Grandius expecta & vive valeq; diu;*

*Longius ut possis patria prodesse saluti,*

*Longius utq; queas rebus adesse meis.*

*Dico, dedico debita demissione.*



# DISSERTATIO.

**S**I quis vestrum, Spectatissimi juxta atq; lectissimi Auditores, quos vel sedentes vel stantes hinc video, forte miratur, me, qui aliquot annos in Academia patria studio tum Philosophico tum Medico ita impenderim, ut aut gradatim, quod multi autumant, nonnulli ajunt; scholasticos honores consequi potuerim, aut talia, ubi nervos intendam meos, minus digna tam sero negligere debuerim; is si mei consilij rationem audiverit, vna & id, quod audeo, probabit, meque, nisi iniquior omnino morosiorve censor fuerit, quasi & otio & literis abuterer, liberum a crimine, imo criminis suspitione pronunciabit. Redeo enim nunc ac prodeco hinc secundum non aliqua, cuius modestum ingenium pudere debet ac decet, sapientiolæ jactantia incitatus, nec quodam, qui me titillet, declamitandi pruritu irritatus: Sed quod, qui pro tempore diceret, aptissimè atque scitissimè dicturum noram. Quid igitur? Vnus ego ex omnibus id solum? Minimè. At tantò sagacior, tantò paratior, tantò peritior, quàm reliqui? Ne huius equidem gloriolæ ita sum avidus, ut aliis me longè superioribus eam præceptam præreptamve velim. Ecquid ergo me præter cœteros impulit, ut linguæ latinæ causa lingua hanc rem in primis aggrederer? Quia si quis

O R A T I O.

istorum, quos adesse conspicio, aliquid tale tentasset, quorum cum summo iudicio summa certat eruditio, si verbum de hoc literarum genere fecisset (Grammatica enim res quam plurimis videtur) ad rudimenta rediisse, ac velut repuerascere putaretur. Ego licet tenuiora ista præ manu sumsero, eque vili penu depromsero: nequaquam tamen similiter, cum mea ætas ab his studiis non sit aliena, præsens mihi oratiuncula vitio verti poterit ulli. Deinde quod tanti viri licet id fieri posse pernegem, si quid peccarent, tam propter ætatis maturitatem, quam doctrinæ soliditatem veniam errori nullam mererentur. Ego si quid nudius aut rudius protulero, vel supprimi, propterea quod nondum cuncta addidici, vel ignosci meæ infantia ignorantiaque debebit, cum mihi de vestra benevolentia, auditores qua ante hac me immeritum estis complexi, etiam nunc nihil non pollicear. Accedit denique, quod rerum omnium esse primum cum Comico experior, quodque modo monere me memini, temporis opportunitas, quæ vel invitum quenque invitare debebat, ut data nunc tam apta optimæ occasionis ansa, studij linguarum præstantiam ostendere niteretur. Nam post eum se dicere credat diem, quo Spiritus sanctus cælo demissus fidissimos Christi legatos antea quidem simplicissimis ac imperitissimis quibusque annumeratos, imò quæ literas quæ linguas rudes præter omnium opinionem miro varij sermonis usu instruxit, auxit, ornavit, adeoque non his solum solis, aliisve tum temporis auditoribus: sed nobis quoque,

qui

O R A T I O.

qui hæc legēdo recolimus, luculento testimonio linguarum decus publicè commendavit. His de causis jam munus hoc suscipere volui, non inventus v. nus qui jucunda facundia, aut indolis fœcundia (neque in me tantum rei, quantum spei; tantum naturæ, quantum curæ; tantum peritiæ, quantum inscitæ; tantum copiæ, quantum inopiæ; neque tantum denique in dicendo apparatus, quantum conatus apparet) sed superstes è pluribus, qui minimo periculo id aggredi posse videar, nec quicquam dubius, quin idem Spiritus sancti Numen pie rogatum mihi blæso verba præire & valeat & velit; nec incertior, cum ille vtrumque præstet, hoc est tum linguas infantium eloquentes faciat, tum occlusas ad vocem aures aperiat, quin vos eiusdem præsentia & autoritate permoti benevolam dicturo operam locare ad horulæ spacium sponte promptè que sitis porrecturi. Non præclara solum ab autore bonorum omnium Deo Opt. Max. (vnde enim prius aut potius auspica- remur?) sed tam rara etiam, tam varia humano generi data sunt dona, vt, quoquò te feras vertasve, pulchritudine oculi, multitudine aures, animus admiratione percellantur. Circumspicite vos parummet ipsos, & nihil non fatebimini vltro citroq; artificiosissimum; introspicite item penitiùs, & illicò omnia divinissima deprehendetis. Principiò enim summus ille rerum conditor tantam corporis nostri habuit rationem, vt reliquorum animantium formam facilè vinceret hominis figura, cum ista ad pastum abiecta, vniq; gulæ dedita, humi visum defi-

O R A T I O.

gant: hic celsus & ad cœli quasi cogitationis hospiti-  
tijque pristini memor, conspectum excitatus rapia-  
tur, attestante id Poeta:

*Os homini sublime dedit, cœlumq; tuere  
Jussit, & erectos ad sidera tollere vultus.*

Quid singularum partium concinnitatem? quid ve-  
nustatem loquar? Sanè sola facies facit, ut facere non  
possim, quin huius mentionem injiciam; cœtera  
verò consultò præteream. Ecce tibi speculum, in  
quo, quicquid in homine toto reconditi, vivis co-  
loribus expressum repræsentatur. Si tibi aliquem  
subiratum dubitas, vultum intuere, neque te su-  
percilium fallat: Si tibi quendam reconciliatum spe-  
ras, eundem adi, neque te frons læta deludet: Si te  
derisui esse sannionibus titubas, nullo alio, quàm, ut  
cum Persio loquamur, tremulos naso crispante  
cachinnos certior fies. Tanta est faciei dignitas,  
ut artificium Physiognomonicum in huius vnius  
diversimodè disposita superficie consistere videa-  
tur! Cui autem parti, qua de causa fortasse suspi-  
camini, puellæ cum fœmellis fuscando, fucando in-  
quam ita student, ut, dum poliuntur, dum comun-  
tur, dum malas cerussa, purpurisso, nescioque quo  
potius alio debebant, oblinunt, ac nativam speci-  
em nova pictura interpolare, imò larva palliare vo-  
lunt, integer annus abeat. Quanquam verò mira  
& maxima hæc pensitanti sunt, omissis etiam pluri-  
bus nostro corpori dotibus divinitus donatis, nul-  
lum tamen maius aut melius nobis à munifico pa-

rente

O R A T I O.

rente concessum est, quàm rationis ac intelligentiæ vis, atque illi nexu quodam indissolubili devincta orationis facultas, quibus vel unis velut divinæ sapientiæ signis illustribus non universa modò brutorum natura ab hominum genere maximè sejungitur, imò planè vincitur: Sed valdè etiam ipsi inter se homines discrepant, quorum eos ferè solos suspicere atq; admirari solemus, qui solerti rationis vel ingenii dote, vel disertæ orationis copia alios antecellût; quamvis alicubi à bestiis longè multumq; superemur. Prævalet enim nobis robore taurus; prævolat quasi nobis celeritate cervus; utroq; leo, nec quisquam mortalium aut luminis acumine aquilas, aut aurium subtilitate apros, aut narium sagacitate canes, aut gustus acrimonia simias aut tactus facilitate araneas, adæquaverit; sed nihil obstat, quo minùs hæ & id genus aliæ feræ vel longo usu dumentur, vel sola voce terreantur. Verùm quid istud ad nostra illa duo, quæ diximus, Rationem ac Orationem? quæ tam arcto inter sese cohærent nexu, ut divelli nullo modo queant: sed altera ab altera necessariò promanet. Tolle rationem, & illicò concidet oratio, oratio inquam à sano animo, sobriove pectore profecta. Neque audiendi hic sunt, qui mihi deliros perquàm loquaces ac clamorosos obliciunt, cùm, ut è Poeta respondeamus, similes brutis dent sine mente sonum, aut si hoc foret cogitatè prudenterq; dicere, quidni asinos omnium eloquentissimos crederemus? Sicuti ne ferendi illi, qui psittacos, picas, mone-  
dulas, corvos, turdos, sturnos ad vocum quarun-  
dam

## O R A T I O.

dam expressionem tam mira docilitate assuefactos ajunt, ut ab homine pronunciationem factam jurares; idque cum certum & apertum sit, eò deveniunt, ut ea quoque animalia, quæ ob rationis defectum bruta appellitantur, non minùs, quàm homines, intelligentia pollere, ideoque easdem aves tanti beneficij nobiscum esse participes contendant. Sed præterquam quod ridiculi, ne dum stolidi videntur, simul ac simpliciores fallere volunt, egregiè falluntur ipsi. Nam licet hoc loquelæ genus in dictis volucris lubentissimè illis largiamur: non tamen à mente, qua prorsus carent, tale quid proficisci: verùm magna cum difficultate, crebra iteratione, longo tempore in effingendo vnam vel alteram voculam, acceptumve proferendo verbum, opus esse profite-mur: integram verò periodum effari aut absolvere posse neque credere neque concedere valemus. Sanè corvum illum, quem historia testantur Cæsare tam re, quàm nomine Augustum tribus verbis excepisse, quasi que gratulabundum compellasse, Salve Imperator invictissime, quanto labore, quàm diuturno usu id edoctum putatis? Quod si plura proloqui debuisset, vel priorum oblitus, vel in medio impeditus procul dubio hæsitasset, vel, ne nihil omninò clamasse videretur, nescio quid inconditi & incongrui deblaterasset. De piscibus etiam narrant piscatores, si quis fortè hamum aut effugerit aut eluserit, illo die eius generis piscem non conspici in eo loco; quasi vnus reliquos præmonuerit de insidiis cavendis: quod tamen non probant: sed narrant tantùm. Levicula

autem



O R A T I O.

autem hæc esse, vilescere, imò prorsus evanescere, si cum nobilissima nostræ mentis interprete, ceuq; animi, vt Scaliger habet, manu oratione conferantur, quis non videt? Nec enim ut aves canere & loqui doctæ nihil vltra voces sciunt: sic nobis linguæ discendæ & habendæ. Verùm hæc fortasse extra oleas. Nam peroratum, non disputatum huc veni. Redeo ergo, unde paululum abij, ad causæ caput & Deum opt. Max. vt reliquarum omnium; ita Latinæ etiam Linguæ, de qua nobis deinceps sermo erit, unicum autorem ac datorem rursus assero, deprædico, dilaudo, nec injuria. A quo enim solo vitam, mentem aliq; hoc genus bonorum sexcenta acceperat homo, quidni ab eodem coniunctum cum solida sapientia sermonem habuisse statueremus? Et quidem ab initio sermonem ~~Hebræum~~ tam sanctum, quàm antiquum, quo quasi vernaculo usi fuere omnes, qui tum vixere, usque ad linguarum confusionem in inusitata Babylonicæ Turris extructione factam; ubinemp, quicquid alij vel sentiant vel mentiantur, harum diversitatem divinitus contigisse, quarum tanta apud nos debet esse autoritas, ut nemini fides hac de re sit habenda maior, sacræ literæ insigniter contestantur. Eat ergò Goropius Beccanus & Cimbricam linguam, cui primas non sine ingenij lusu & præpostero notationum usu defert, vetustissimam impio iniquoque ausu defendat; cum ante & post diluvium ultra 1700 annos à mundi origine, priusquàm Græcæ, Latinæ, Germanicæ aut alterius linguæ ulla vel vola vel vestigium appareret, populos Hebraicè locutos fuisse con-

*Ling. Hebrææ*

B

stet

O R A T I O.

stet, adeoq; reliquas, quotquot habentur. (Nam id  
 certum de numero harum certo nihil esse certi) om-  
 nnes maximam partem ab Hebræa, ceu rivulos è  
 scaturigine profluxisse, & suis quasq; nationibus se  
 prodere & vsibus probare nemo non è nostro nume-  
 ro nôrit. Has alioquin doctissimi viri aniles nugas,  
 imò ineptias si quis animi gratia legere appetit, is ori-  
 gines eiusdem Antvverpienses adeat, audiat, iudicet:  
 sed ita, ne sibi fucum fieri patiatur ullum, quin verò  
 potius fundamento innixus Belgicum idioma ex  
 Hebræo promanasse inferat & fortiter per violenti-  
 am quandam invertat. Pro cuius specimine, ut ex  
 uno velut ungue leonem, cætera agnoscere liceat,  
 ecce vocabulum nostrum, *sauffen* unde deducit He-  
 bræum נִשְׁכָּר i.e. ebrius, beneve potus fuit. Quàto re-  
 ctius, quantò melius ab hoc tanquam antiquiore il-  
 lud derivasset? Verùm mittamus hominem, qui for-  
 tasse suis Belgis plus adulari in hoc, quàm veritati gra-  
 tificari maluit. Cum ergò olim unica tantum fuerit  
 lingua, quis tantam varietatem introduxit? Num ab  
 humano ingenio efficta, aut à Philosophis profecta?  
 Profectò, Auditores, nisi nos aliud dudum sacra scri-  
 ptura edocuiisset, secus sentire vix possemus, eò ma-  
 gis, quod diversi populi pro antiquitate vernaculi  
 sermonis acerrimè inter sese depugnarint, singuli  
 suam linguam omnium primam mordicùs rati ac  
 perperàm opinati, Græci quidem, quà honores, quà  
 mores, quà disciplinas, fuere arrogantissimi; Aegy-  
 ptiorum tamen sermonem vetustiore esse Plato  
 lubens fatetur; neque Aristoteles Aegyptios, quos

omni-

ORATIO.

omniū antiquissimos credidit, hac laude defraudat. Quia verò Arcades & Phryges cum iisdem de prerogativa hac concertarant, interposuit sese, teste Herodoto, q. datae litis arbitrum rex Psammetichus experimento, sed nimis dubio nimis lubrico re expediturus, quo binos infantulos à capella nutriendos, ne linguam cum lacte materno suggerent, pastori ita commendavit, ut severissimè interdixerit, ne vel verbulum in horum praesentia effutiret. Quid fit? Fame tandem coacti lallarunt & ingeminarunt uterq; Bec, Bec, eaq; Phrygibus nota & consueta voce panem postularunt (unde quoq; si Mercurio haud displicet, nostratia Bec vnd Bec/i.e. pistor ac pastillus) quo persuasus rex illis antiquitatis in lingua ius meritò deberi dixit: sed ridiculum Psammetichum, & quavis macerie stupidiorē, imò ipsis infantulis stolidiorē, cum nosse oportuisset illum, sermonem nō natura; sed crebra auscultatione & quotidiano usu addisci, indeq; accidisse, ut in hanc potius, quàm aliā vocem ob caprae balatus (quos Graeci elegantius per τὸ μνησθαι exprimunt) eruperint. Quantò planiora, quantò certiora noster Moses? Venite, inquit inibi ipsissimus Iehova, linguas confusum descendamus, ne alter alterius vocem percipere queat! Hic, Deum bonum, quantas inter opifices atq; camentarios rixas factas, quantas turbas datas, quantam è concordia discordiam, quantam ex amicitia inimicitiam enaram putatis? Sanè sine dubio istuc res rediit, ut mutuo intelligere se amplius haud potuerint: sed dum hic laterem petens, ille asserem, dum unus tegulam, alter regulam; ille scilicet, hic palum;

O R A T I O.

dum iste aquam, hic arenam, alius deniq; quod aiunt, allia, alter capas porrexerit. Nonne hoc miræ Comœdiæ, imò miseræ tragoediæ triste spectaculum? ubi quasi de industria operæ ad turris opus molendum aut, quod verius est, demoliendum se illudere videntur, non secus ac servi satis juveniliter & scurriliter apud comicos solent. Quod si autem alicui vestrum fortasse mirum absurdumve videatur, quod maximum optimi patris donum linguas sæpè dixerim; cum sint potius ineluctabile insanis illis ac temerariis machinatoribus illatæ poenæ damnum, is sibi hoc responsi habeat, etiam malis Deum benè uti nosse & quæ pessima censentur, in optima mutare posse. Sed esto hæc linguarum perturbatio summum dedecus: correxit tamen postea Deus idem malum, eiq; remedium attulit tale, ut largiter ipsa Pentecostes die Spiritu sancto in discipulos Christi effuso variam linguarum peritiam communicarit, itaque dispersas antea ob diversitatem linguarum gentes linguis iterum congregarit, imò etiam nunc istiusmodi nobis viros largiri pergat, quorum ope & opera illarum vis, proprietas, perspicuitas rudioribus ritè aperiatur, dextrè explicetur, rectè enodetur. Ex ista igitur confusionis farragine Linguam Latinam æquè ac alias semel simulq; exiluisse quis ambiget? licet non de nihilo sit hanc ea tempestate neque tam limatam neque tam politam aut elegantem fuisse, quàm Ciceronis ætate, quod seculum tantum abfuit à priore & posteriore, vt sermo Romanus planè alius, imò novus quasiq; peregrinus videretur. De quo

tamen

O R A T I O.

tamen discrimine absque vlllo, ut spero, prolixitatis crimine paulò post me verba facturum spondeo. Iam enim de origine, neque ullum divinis oraculis obstrepere aut turpiter resistere ausurum autumo, certos nos necessitas rogat, imò cogit, ut nolentes volentes de necessitate tùm toties dicti, tùm universi sermonis dicere pergamus. Nequid planè homo, cuius perfectio pendeat è disciplinis atq; artium liberaliù cultura, eo carere instrumento, quod ipsum sapientiæ participem votiq; ex alternantium, sæpius etiam altercantiù colloquiis compotem reddere debebat. Est sanè lingua animi seu cogitationum quasi quædam janitrix cuius communicatione religiosi civiles, publici, privati deniq; conventus ad unum omnes indicuntur, humaniores literæ ceu manu traduntur, velutve per infundibulum imbibuntur, consiliorum ac conciliorum necessitudines homini cum hominibus ineuntur, nec non alia negocia, quæ vel in choro vel in foro vel in thoro domove singulatim solent occurrere, peraguntur. Nam omnino necesse fuit ea petere ab habentibus, quibus nos egere- mus, jubere infecta fieri, prohibere, proponere, dispo- nere, eligere, abolere: neq; ideò nati sumus, vt in cætu hominum tanquam *κῶφα πρῶσῳπα* in comœdiis versaremur, nobisve solis intus in animo canere- mus: sed verè quasi animalia civilia ac socialia hîc de- gimus omnes, ideoque cum aliis de rebus justis & iniustis, honestis ac turpibus, vtilibus & generi hu- mano noxiis conferre debemus. Hæc sermonis me- ta, hic scopus, hic finis, quem si attigerit, placidissimè



ORATIO.

nostra mens acquiescit, Elimina, quâ libet, quâ licet, linguæ usum, & quid elinguis à ligno, quid mutus à bruto, quid homo ab humo seu saxo differat, habebis, imo totam vitam invitam videbis. Nobilissima quidem atque preciosissima in nobis ratio: verum auro gemmisque contra non chara oratio, cum illa cogitet, hæc proferat; illa intrò foveat, hæc extrà moveat; illa concludat, hæc excludat; illa meditetur, hæc eloquatur; illa denique parturiant, hæc pariat. Tanti autem beneficii necessitas, dignitas, utilitas ex alio nullo liquidius sive nitidius, quàm è defectu elucescit. juxta illud nemini non è Plauto notum:

*Tum deniq; homines nostra intelligimus bona,  
Cum, quæ in potestate habuimus, ea amisimus.*

Considera quæso miserrimæ conditionis mortales, mutos, quos ob rerum oculis oblatarum admiratione variè gesticulari, iam motare, iam nutare, iam nitare, mox digitis monstrare, quasiq; quod prius conceperant, expectorare aut exscreare vellent, totos eniti cernes, licet conatu irrito, eventu vano, haud secus, ut cum Poetarum Latinorum principe incubû non tam dæmonem, quàm morbum insigniter depingente loquamur,

*Ac nos in somnis, oculos ubi languida pressit  
Nocte quies, ne quicquam avidos extendere cursus  
Velle videmur & in mediis conatibus ægri  
Succidimus; non lingua valet, non corpore nota  
Sufficiunt vires, nec vox nec verba sequuntur.*

Minus enim vero simile minusq; credibile est, quod

Philip.

ORATIO.

Philippus Camerarius in operis succisivis habet, nisi vel memoria exciderit, vel eo modo acceperit, quo illi, qui latinam linguam synonymis augere satagunt, & legere idem ac videre esse volunt, se Noribergæ juvenem & virginē ambos natura mutos vidisse, quorum tamen uterq; scitè legere ac scribere potuerit. At inquit quispiam, quæ agenda sunt, nutu gestibusve aliis significari queunt. Sanè fatendū, quodammodo per mirandam naturæ compensationem istiusmodi more refarciri posse: sed periculum est, ne plus damni quàm commodi pro vario hominum captu, imò deceptione asportemus. Cui enim non in mentem obiter incidit ridiculi illius, quod nescio quo in autore extat, de quodā elingui, qui cum inedia torqueretur, neq; tamen quid cuperet, eloqui posset, os digitis tangendo se cibum velle subinnuit, quod sinistrè interpretati, qui præstò ipsi aderant, mutum non fame; sed dentiū dolore vexari ideoq; dentifrangibulo potius, quàm alimento corpus habere imprudenter dixerūt. Quid Linguae latinæ, de qua nobis deinceps res erit, necessitatem loquar? Certè qui hęc è scholis & Academiis, ubi illustres de sese spargit radios, tolleret is solem è cœlo subripuisse jure accusaretur. Linguae quidē Hebrææ ob autoris & usurpatoris ipsi simili Dei excellentiā primum meritò relinquimus locum, neq; quicquā huic detractū sacrilegè volumus, cum unica & fida sacrosanctæ sapientiæ obstetrix sit, indeq; solos Theologos cultores habeat, ac patronos, eo magis quod his plurimum inserviat (quid. n. Iureconsultis, quid medicis, nisi forte propter Arabicarū dictionum

*necessitas ling. lat.*

partim

## O R A T I O.

partim cognationem, partim cognitionem, quid philosophis denique magnoperè eius peritia prodesse possit, non habeo perspectum) absque quorum industria si foret, dudum de illius salute actum esset, præterquam quod idem Deus præ scelerum atrocitate tam populo, quam linguæ ipsi vernaculæ favere amplius noluisse videatur: eius tamen, qualis qualis hoc seculo vigeat, perceptio per nulla alia præcepta, nisi per latina fieri consuevit. Nam quis, (neque ego meâ tarditatē hic nego,) tam felicis ingenij, tamve facilis memoriæ unquam fuit, qui istam linguā à Iudæis, quibus patria ac propria etiam nunc manet, vel magistris Hebraicè semper locutis addiscere potuerit? Mutum profectò totum hoc esse studium absq; latini sermonis adminiculo; qui vel à primo limine id genus grammatica vestibula, vel Lexica vel similia exercitia salutârît, nemo nescit. Quid, quod & græcæ linguæ fundamenta, cuius vsus longè largior, longè latior, longè laxior adeoque prolixior in Aristotelæis præsertim gymnasiis (Ramus enim omnia raptim agitque) tum docentibus tum discipulis habetur, non nisi Romanis verbis informantur ac proponuntur? Tanta est huius solius necessitas, tanta dignitas, tanta commoditas, ut unâ sese omnibus immisceat ubique & esse & interesse velit! imò, non ineptè tamen, ardelionis instar hinc inde divagetur. Vnde etiam evenit, ut à teneris assuefacti unguiculis nulla aut libentiùs aut frequentius lingua vti malimus. Ecce paulum pusillos in schola tyrones jam literas syllabatim connectere ac legere vix gnaros! quid illis

tandem



O R A T I O.

tandem fiat, rogas? Præ manu dantur indices, antequam  
 græcū Hebraicūve vocabulū vel viderint, vel audive-  
 rint libelli latini, quē vulgò vocant, Donatus uterq;  
 multa Grammaticorū dispendia, compendia inquā;  
 nomenclatores varii, tota quā verba, quā phrasēs sy-  
 nonymorum plaustra; Theſauri, ſylvæ, colloquia, e-  
 legantiæ, atq; denique magna iſtiusmodi Collec-  
 taneorum turba. Hic eſt puerilium ingeniorum cam-  
 pus, hæc palæſtra; hæ vernantium ſtudiorum metæ;  
 quas non alia de cauſa ſibi habent præfixas, niſi ut in  
 literarum linguarumque exercitiis, diſſerendi item  
 ac dicendi artibus cum fruge ac laude olim progredi  
 queant. Hæc ſi ſunt, qui aut rideant, aut rodant aut  
 omninò negligent, ij probè videāt, ne ſi vel ipſi quid  
 ſcribant, vel edant, vel legant, turpiter ſeſe dent, & à  
 doctioribus taliſe olim exceptentur. Rudimenta  
 enim hæc, imò fundamenta teneræ ætatulæ jaciun-  
 tur, quibus malè firmis, ſed lubricis, ſed ruinoſis quic-  
 quid ea ſuperſtruxerit, oppidò collabetur. At hic ve-  
 terem querelam mihi inaudire videor, qua non juni-  
 ores modò; ſed natu quoque maiores calamitatem  
 fundi Grammatici ſeu turbulentum ſtatum deplo-  
 rant, quod ignorent, quem tandem amplectantur &  
 ſequantur autorem, cui tutò fidem habere poſſint,  
 cū teſte Lyrico Latino, de multis certent & adhuc  
 ſub iudice lis ſit, licetque varii ſeſe interpoſuerint ar-  
 bitri, cenſores, imò ut nervoſius loquar, critici, neq;  
 tūm omnia decifa, conclusave: ſed ita ſuſpenſa, ut  
 juxta quorundam haud ſiniſtrè de literariæ Reipubli-  
 cæ emolumentis ſentientium voluntatem hæc cauſa

C

non



ORATIO.

non nisi coactis comitiis componi queat; nos interim nihilominus ab horum mente alieniores post Philippū Melanchtonem, qui egregiè se in isto præstitit periculo; ideoq; meritò ab omnibus magnifiteritur, discitur atq; retinetur; Ramum, Scaligerum, Frischlinum, Goclenium & hoc genus alios quàm plurimos sequēdos esse putabimus. Quia verò idē ab aliis lōgè me eruditiorib. ad ravim usq; actū scio, jam è pulvere illo scholastico egressi Academiam mecum intrate, neq; tam oculorum, quàm animi gratia, quos utrosq; passim pascere potestis, eam lustrate. Hic iterum tanta sermonis latini cum summa utilitate coniuncta necessitas nobis sese offert, ut si absq; hoc uno foret, cuncta muta, cuncta mutila videantur. Quæ quæso lingua præstantissimi Aristotelicæ Philosophiæ professores pro lectione, licet græcum textum explicent, utuntur? Latina. Qua illi, qui Poeticam & oratoriam provinciam sustinent? Latina. Qua, qui Hippocratis atq; Galeni Græcorum doctissima scripta enucleant, Medici? Latina. Qua, qui ius utrumq; è cuius, si Cicero interciderit, solo Codice, ne dum Corpore, quod vocant, toto elegantia Romana restitui poterit, enodant? Latina. Qua deniq; Theologi, qui divina oracula ex Hebræis fontibus aperiunt? Latina. Latina, Latina inquam Lingua una illa est; quæ ubiq; & gentium & locorum regnat, adeoq; regnat, ut eius usus nec tam parco nec tam arcto coerceatur carcere; sed toto terrarum orbe sit diffusus. Italicè locutum solī Itali intelligent; qui Turcicè aut Polonicè loquetur, inter Germanos pro muto habebitur, li-

cet

ORATIO.

cet Itali à Latinis quæ verba singula propè absint. Germanus apud Hispanos sine interprete parum assequetur; qui Gallico sermone utetur, ubi è Gallia exierit, irridebitur. At qui Latinè scit, quocunque nationum aut regionum pervenerit, non percipient tantum sed hunc plerique suscipient ac suspicient. Qui hoc? Quia radix hæc est, istæ fibræ seu filamenta; mater hæc est, istæ natæ; scaturigo hæc est, istæ rivus. Vbi equidem omnes faciles, qui vel primoribus labris latinum sermonem degustarunt, me habiturum spero, cum non obscura vestigia, quibus nullo negotio ad rei veritatem deducamur, inibi apparent; neque nisi paucis inter sese variant. Mitto, quod nullorum librorum tantus cumulus numerusve sit, quantus Latinorum. Nam si quis doctiorum hodiè quid edit, Latinè scribit. Cur ita? Quia se facile à plurimis intellectum iri credit. Cum Græca jam, ut barbari olim aiebant, vix legere, nedum intelligere velimus, metusque subsit, ne illa, ni juventutis Magistri malum avertant, sensim dispareat, imò dispereat. Sanè sicut Græcus sermo cum Græca monarchia paulatim imminui cœpit: Ita Latinus cum Romano imperio, quod languidiusculum novimus, propagatus ac conservatus clementissimi Dei munere videtur. Quæ cum ita sese habeant, cumq; Lingua Latina à plerisq; tam crebrò usurpetur quid obstat, quò minùs hanc non tam necessariam, quàm frequentem, non tam nobilem, quam utilem, non tam elegantem, quàm facilem dicamus? Eius tamen divinitas atque dignitas si cui nondum

ORATIO.

satis patet, is crucem Christi addeat, aspiciat & quod in frontispicio scriptum viderit,attenta mente legat. En regium ac egregium, quo coronari voluit noster Servator, diadema ternis preciosissimis gemmis, hoc est linguis distinctum, Hebraea, Graeca, & Latina, quarum tantus nitor, tantus splendor, tantus fulgor eminet & emicat, vt omnes adamantas, omnes pyropos, omnes hyacinthos facile vincant. Verè miram, spectatores, rem, perque raram! Moritur Christus in patibulo; oritur è capite, vt Minerva è cerebro, cuius Iovis non novi, enata fingitur, gloria immortalis! Dominus in ligno tacet; lingua triplex in vertice verba facit. Latet, latet hîc, Auditores, aliquid mysterii, quod tamen Philosophi Theologis indagandum iure relinquimus, & ad ultimam, si prius scrupulum exemerimus, sine mora accedemus orationis partem. Inaudii enim, nisi me aures fallunt, hîc quosdam submurmuratos, quasi non nihil linguæ latinæ decederet dignitatis, cum imum in inscriptione à Pilato facta, ab alio affixa occupet locum. Sed frustra arguantur, neque fugere vos opinor, quod iuxta tritum illud:

*Ultimus ac primus sint in honore pares.*

Iam ergò elegãtia, quæ è Romana locutione lucidissimè enitescit, nos allicit, ut habita tamen & vestri & tēporis ratione, breviter nec eleganter de eadem paucis differamus. Reuera, & pace vestra & mea modestia dixerim, si ullibi, sanè hîc Rhodus, hîc salta. At qui nos tantò linguis ac ore, quantò animis, studiis, oris distinctiores possumus? Germani sumus, non Roma-

ni;

ni; discipuli, non doctores; imperiti, nō eruditi; simplices, non critici; æmulatores, non autores, externi, non vernæ, quos cum coquis caculis aut lixis olim longè meliùs, quàm nos locutos docti fatentur. Quapropter absque adminiculo præter periculum assurgere nobis haud licet, tantula præsertim ætate, tantula, imò nulla vel dicendi copia vel doctrina. Quantò rectiùs, quantò commodius istud facerent ij, qui in huius studii stadio veterani & exercitatissimi iudicio usuque pollent? Quasi verò, qui jam olim vixere, & adhuc supersunt multa eruditionis laude cumulati viri, hanc rem tam negligenter egerint, ut ab ipsis prorsus omissa videretur. Errant, nisi fallor, qui tam dementis mentis neque vllius lectionis erunt. Quid enim à Quintiliano eloquentiæ titulo donatus Cicero maiore cura voluit, quàm ut præ reliquis sermonis latini elegantia emereret? idque ita obtinuit, ut parem non habuerit usquam. Quid Iulium Cæsarem Martene an arte clariorem movit, ut delectū verborum originem eloquentiæ esse affirmarit? Quid huius vix absque fato cognominem Scaligerum impulit, ut missis gravioribus & grandioribus rebus aurum de causis Latinæ linguæ libellum ediderit, posterisque, quorum gratia hoc onus suscepit reliquerit? quid eundem coegit, ut neglectæ in verbis & phrasibus elegantia Cardanum toties arguerit; falsè riserit, acutè pupugerit? quid urfit, ut alibi passim, cum primis in Poetico opere, sermonis puritatē ac perspicuitatē commendarit, imò ipse, ne seipsum redargueret, ubique expresserit. Taceo cæteros huius agminis

ORATIO.

& agonis heroes tūm antiquiores, tūm recentiores, Romanos illos & Tullio coetaneos Crassos, Antonios, Hortensios, Sulpitios, Cottas, aliosq; innumeros, quorum memoriam horum gloria ac splendor obfcuravit; hos partim Italos, Victorium, maximè politum Politianum, Barbarum minimè barbarum, Be- roaldum, Bembum, Sadoletum, Muretū, Sigonium, utrosq; Manutios; partim Gallos Turnebum, Lam- binum, Iosephum Scaligerum, Robertum; partim Belgas, Iunium Palmerium, Lipsum; partim deniq; Germanos incomparabilem Melancthonem Came- rarium, Sturmium & qui adhuc vivit præclarum hu- ius literaturæ columen culmenq; Matthæum Dres- serum, i) sanè in solidum singuli eò contenderunt, tam calamo quàm animo, ut sartā rectam latinæ di- ctionis ac orationis elegantiam ceu hæredes tanti pa- trimonii adiremus, auferemus, tueremur. Videte igitur, ne ut illis pulcherrimum fuit tantam nobis Latinæ linguæ puritatem relinquere: sic nobis tur- pissimum sit illud, quod accepimus, retinere ac con- servare non posse, aut, quod sædius peiusq; erit, qua- si de industria prisco ac obscuro loquendi modo conspurcare velle. At quæ tandem, inquis, est il- la toties tibi dicta elegantia? Non satis benè loqui- mur, si Latinis verbis utimur? Non me- Dius Fidi- us, non; & alucinantur, quicumque ita opinantur; cū longè aliud sit Latine loqui, & loqui propriè, purè, eleganter. Quid si Ciceronem imitati differ- temus? Responsio difficilis; nisi nos discipulos à tanto Magistro tantum abesse nossent, nisi dum mo-

dò

ORATIO.

dò quid hac de re iudicare aut queo aut debeo, nos à mente ipsius dissentientes scirem. Pervasit enim non solum; Sed persuasit etiam plerosque vetus error, quo perperam turbati ac turpiter seducti uni Marco tam pertinaciter adhærent, ut ab eius stylo filoque ne latum, quod dicitur, unguem abeant: sed, quos Horatius appellat, imitatores servum pecus singula verba, singulas phrasas atque periodos supersticiosè æmulentur, ne dum suffurentur: quod tamen ipsum, si artificiosè fiat, suam meretur laudem, cum nobis, eodem Tullio teste, exemplo debeant esse boni fures, qui earum rerum, quas clepserunt, signa commutant. Ut enim illi pallium si cui furantur, ne id is agnoscat, ex pallio sagum faciunt: sic qui aliorum sententias paulùm inversis verbis enunciant, quæ communia sunt, propria face-re videntur. Scilicet hi pudenter, imò imprudenter veriti, ne minùs Ciceroniani audiant, nunquam sunt in scribendo sui: sed ineptè; sed coactè, sed miserè; uti mancipia, semper alieni. Quid autem eos huc adigit? prava illa opinio, qua Tullianæ orationis feriem uni tantùm aptari posse autumant, ad quod ille semel pro re nata proque tempore adhibuisset. Quæ quidem iam olim & nunc nimis quibusdam adhæret, æquiores censors reperti, qui præposterū hoc æmulandi studium rejicerent atq; damnarent; eo magis quod si Ciceroni idē animus fuisset, hunc non tantæ ubertatis aut luxuriæ; sed sterilitatis seu penuriæ in loquendo parentē haberemus. Instar omnium mihi

fit,

O R A T I O.

fit, cuius modò honorificam facere mentionem & volui & debui, Matthæus Dresserus dictæ sententiæ in Rhetoricis nullâ literâ repugnans; At quo commotus? quo inquam, nisi solius eloquentiæ Latinæ principis, quem sequitur ipse, sequique alios amicè monet, autoritate. Sic enim ille, i. de orat. Legendi, inquit, etiam Poetæ, cognoscenda historia, omnium bonorum artium scriptores & Doctores & legendi & pervolutandi, quos nominatim non attingam, cum à clarissimo viro, linguarum & historiarum Professore id factum sciam. Qui verò prorsus Tullij lectionem & imitationem negligunt, quid nî ipsos quoque sumus neglecturi? Namque in primis curæ nobis esse debet, ut verba & modum sermonis nostri ab illo mutuemur. Ast ubi hic deficit, ex alijs probatis autoribus sumere libebit. Neque sine iudicio etiam, quos ipse magno cum iudicio conscriptos reliquit, neque sine sapientiæ sale nostri Coryphæi adeunda monumenta; sed consideratè, sed cogitatè; cum illic plus lateat, quàm pateat, nec ubique quidvis dicere liceat, nec deceat, quin in loco qui cū Cicerone loquitur, aptissimè & artificiosissimè loquatur; quin contrà, qui importunius aut imperitius hoc aggreditur, eidem insulsissimè & cadat & cedat,

*Ut quanti decoris fuerit benè posse Latine*

*Dicere: dedecoris tanti malè posse Latine.*

Maneat igitur hic noster orator canon, sit Cynosura, imò prima Latini sermonis lima, ad cuius asperitatem cætera, si quæ in scriptoribus occurrerint, poliantur & effingantur. Plurima in aliis apud hunc non

reper-



reperita haberi fatemur: sed optimis tamen verbis & quidem usitatis suo ipsius suasu uti debemus. Sicuti autem non satis est Latinè dicere: sed benè Latinè: ita nec sufficit eleganter loqui; verùm propriè, verùm perspicuè, cùm translata minus clara minusque genuina esse omnibus constet; quæ tamè rectè à Poetis ac oratoribus partim majestatis, partim venustatis gratia adhibentur; haud cōmodè semper ab iis, qui Philosophos agere, hoc est rei ipsius naturā verè & accuratè indagare volunt. Duo enim cùm faciunt idem, non esse idem, Comitorum optimum optimè dixisse nostis. Sic medicus perquam propriè loquitur, cùm corpus pravis humoribus redundare dicit: impropriè autem & figuratè si aliquis mercatores nostrates pecunia & opibus abundare aut affluere asserit; ita minus propriè: sed magis oratoriè mundum diluvio igneo perituum dici posse equidem existimārim. Imò Marcum ipsum hac de re sollicitum fuisse præter innumera exempla illud confirmat, quod idem ad Atticum scribit l. Epist. 13. Inhibere illud tuum, quod valdè mihi arriserat, vehementer displicet. Est enim verbum totum nauticum; sed nolumus singula recitare, ne vestræ privatæ diligentia obstitisse videamur. Qui verò id scio? Qui notationes seu nominum deductiones nos aliud edocent, undeque derivata sint vocabula, probè admonent; ac denique veras vocum rationes liquidò ostendunt. Quapropter etiam princeps harum & primus significatus indagari debet, ad quem ceu ad tesseram signaque cæteras reducere convenit legiones: sed adiectis sem-

D

per

O R A T I O.

per causis, sine quarum probabili saltem congruentia hoc studiū partim ridiculū est, partim ineptum. At quæ huius exercitii certitudo, cum unius quandoque verbi tres vel quatuor à variis afferantur Etymologia? Plures quidem esse posse concedimus: Verum omnes veras, omnes firmas pernegamus, Dicitur causa, fur Varroni est à furvo i. e. tenebris. Nam ut jugulent homines, surgunt de nocte latrones, Scaligero à græco φῶς à φέρειν, cum semper ablatum, nunquam quicquam allatum illi nebulones veniant; vel ipsa meridie, quod magno cum damno institores in nudinis experiri novimus. Vtri hinc credas? Quæ melior & certior tenenda, quæ peior & absurdior omittenda. Vt autem aliqui, inter quos idē Varro, pravè omnia è Latinis erudere conantur; Græcisq; à quibus maximam partem lingua latina est hausta, suas origines invident; sic nec Hebræi negligendi, è quorum fontibus primis scaturisse reliquas omnes est demonstratū. Pellucida deniq; ac clara debet esse oratio. Etenim in ambigua, obscura & prisca hæret animus, horrent aures, neque transmittit se intellectus ad rem, quam significat: in perspicua nihil obstat menti nostræ, quin aciem suam ad medullā usq; ipsam appellat. In sermone itaq; cum nitorem ac splendorem inesse cernimus, id de verbis verborūq; compositione luculenta, & illustri intelligamus est necesse; quæ lecta, recteq; collocata radios quosdā emittant, haud secus ac arma ipsa deterfa vel situ vel rubigine oculos ferire solent, indeq; puritatis gratia se nobis ea commendabit oratio, quæ nihil peregrini, nihil sordidi continebit. Impuram & obscurā

si cu-

O R A T I O.

si cupis, Gelliū cape, ac Laberium loquentem attrēde;  
 mirificam latinitatem si expetis, libros è monacho-  
 rum claustris olim exclusos lege; sed ne nausea vel  
 stranguria tibi excitetur, seriò cave; imò recentio-  
 res falsò creditos antiquarios animi causa consule,  
 ac similem penè in loquendo aut scribendo stylum  
 filumque, deprehendes. Quorsum ergò nova ista  
 fatuitas, aut fatua novitas? quæ non paucis hodiè  
 adeò arridet, adeò perplacet, ut si paulò obsole-  
 tior vocula ipsis suboleverit, vel lecta vel aliunde ar-  
 repta fuerit; illicò in orationes, in literas, in libros  
 illinant, summaque vi detortum sæpe intrudant;  
 imò dici vix potest, quàm ista capitum monstra  
 sibi in hoc applaudant, quàm tam miro dictionis,  
 scriptionisque genere gaudeant, quàm se auda-  
 cter iis, quos nullo modo superant, superiores ac  
 sapientiores somnient, quàm insolenter, quod pu-  
 eri in faba, nescioque quid subulci in hara reperis-  
 se jactitent, valideque cum Archimede clament,  
*εὐρηκα, εὐρηκα.* O uniones è sterquilinio erutos! ô ma-  
 gnum thesaurum, nec auro contrà charum, cui  
 tam nobiles gemmas, gerrasinquam, includi vel-  
 lent, nisi aut sumptibus parcerent, aut nummos  
 meliùs impendere nossent & possent. Nullis hi si-  
 miliores, quàm sartorum operis videntur, qui pal-  
 liis suis, quibus aliàs parùm boni aut belli inest, è sub-  
 secivis plerunq; pulchrum collare, quod totum ex-  
 ornet, quasi luculentum vestibulum vetustas & fu-  
 mosas ædes, assuūt, vel novæ vesti frustū panni laceri

ORATIO.

ac detriti affigunt: Sic isti deformi orationi sive carmini quandoque ad decus priscam, fuscam ac fœdam vocem adhibent, quasiq̄ue pro concilianda gratia sine omni lepore aspergunt: Digni mehercule, qui totam ætatem in tam lutulentis lacunis & cloacis sese volutent, digni etiam atque etiam, qui sua scripta potius obscurare, quam eleganti, puro, splendidoq̄ue sermone illustrare cœco quodam impetu pergant, nec unquam à tam immunda sorditie purgent. At nummus, inquis, vetus tibi in rem tuam est, cur non loquendi item modus? Facile pro me respondet Poeta:

*Moribus antiquis, presentibus utere verbis.*

Imò addo, quod si suppetat novæ seu recens causæ pecuniæ copia, nos nihil morari argentum obsoletum, cum pro valore, uti nunc mores & tempora sunt, utrobique parùm perdere cogamur. Cur ergò, si proba, propria, perspicua, pellucida, trita, usitata habeamus verba, temerariè permutemus? Certè ut in reliquis rebus, prohibet hîc pudor vel vetularum vel deformiū meminisse mulierum; ita in sermone longè acceptior, longè gratior, longè jucundior est candor & nitor genuinus, quàm squalor, quàm graveolens putidorum verborum fœtor. Sua quidem quæq̄ue gens vernacula utitur lingua: sed quotusquisque est, qui urbanum pressè & modestè dissertantem, quàm rusticum crasse ac vastè vociferantem audire non malit? Nisi forent aliqui, ut ille canit,

*delectat forte suillus*

*Quos*

ORATIO.

*Quos magè grunnitus ; quàm grave mulcet epos.*

Verùm quia nihil habent, quo errorem suum aut fucare aut excusare queant, valeant, & in antiquam sylvam abeant tum antiquarij, tum novitii in stylo vitii fautores, tamque diu inibi caudicali præfecti provinciæ desudent, donec meliorem receperint mentem, sermonemque correxerint affectatum; nobis interim salva & integra maneat Latinæ linguæ proprietas, puritas, perspicuitas; sani & incolumes supersint, qui nobis veram regiamque adipiscundi viam monstrant, Professores & Magistri; qui nobis etiam legitimum possidendi, propagandi ac conservandi modum ostendunt, unà cum illis autores alii saniores; vivant quoque probeque videant, ad quos hoc maxime pertinet, ne optimè sentientibus ac de dicto literaturæ studio graviter meritis invidiant: Sed ad utriusque decus & gloriam strenuè invigilent juniores: præsent denique ac hanc ditionem diu feliciterque regere, fortiter protegere pergant, quo sub ipsorum Ruta tuti humaniores disciplinas colere, idque genus exercitia deinceps plurima habere possimus, Illustrissimi Principes, Fratres tres potentissimi, quos si prius DEO clementissimo piè commendavero, Spiritui quoque cum primis sancto atque toti Trinitati pro divino linguarum munere religiosas devotasque preces obtulero, tibi denique spectatissime Decane duplici nomine, & quòd me materiam hanc adornare; & quòd tua gravitate cœtum istum exornare liberè libenterque volueris; nec non vobis singulis pro præsentia ac benevolentia in



ORATIO.

auscultando mihi abundè exhibita gratias egero in-  
gentes, tam amici etiam animi declarationem gra-  
tæ mentis memoria omnique officiorum genere  
me semper remuneraturum bona fide spon-  
dero, quid restat, nisi ut domum,  
unde venimus, abea-  
mus?

FINIS.





QA Test

1077

22





T

Illu

D

Ne

Sec

Fec

Er

Q

Na

Pr

Me

Ha

Lo

Prudentissi-

TELIO

Ori.

da ab Appellatio-  
sua est, Asses-

trono &c.

ime Consul

re meis.

Tum

e:

rum

pit.

a

nos.

ta

gam.

patrono

sitanesses,

res.

quat,

m.

pondera, & olim

u;

demissione.

